


STEMMA

SIGLA



- F Laurentianus 68.2 s XI
- ϕ Laurentianus 29.2 s XII
- A Ambrosianus N. 180 sup. s. XIII
- U Illinoiensis Urbanensis 7, MCA.2 s. XIV (a. 1389)
- E Etonensis 147 s. XV
- S Audomarensis 653 s. XV
- α consensus codicis A vel codicum AU cum codicibus ES altero ambobusve
- v lectio cuiuslibet codicis post ϕ exaratum vel manu scripti praeter AUES vel impressi nisi nominatim citati

This is an adapted version of the 'traditional stemma' as Robert Carver has designed and printed (Carver 2007, cit. above, n. 11, p. 66). One major change that has been made is the dating of A, the Ambros. N 180 sup.: not s. XIV, as has traditionally been assumed, but s. XIII, according to Ferrari (cit. nn. 35 and 36).

APVLEI
METAMORPHOSEON
LIBER I

1 At ego tibi sermone isto Milesio varias fabulas conseram,
auresque tuas benivolas lepido susurro permulceam, modo si
papyrum Aegyptiam argutia Nilotici calami inscriptam non
spreveris inspicere, figuras fortunasque hominum in alias 2
5 imagines conversas et in se rursus mutuo nexu refectas
ut mireris, exordior. 'Quis ille?' Paucis accipe. Hymettos Attica 3
et Isthmos Ephyraea et Taenaros Spartiatica, glebae felices
aeternum libris felicioribus conditae, mea vetus prosapia 4
est. Ibi linguam Atthidem primis pueritiae stipendiis merui. 4
10 Mox in urbe Latia advena studiorum Quiritium indigenam
sermonem aerumnabili labore, nullo magistro praeunte,
aggressus excolui. En ecce praefamur veniam, siquid exotici ac 5
forensis sermonis rudis locutor offendero. Iam haec equidem 6
ipsa vocis immutatio desultoriae scientiae stilo quem

APVLEI PLATONICI MADAVRENSIS PRO SE DE MAGIA LIBER II Explicit. ego
salustius emendavi romae felix F (*incipit deest*) 1 En ego *Hildebrand* : At <ut>
ego van der Vliet, alii alia 4 fortunasque] F : formasque v, def. Haupt et Wölfflin,
cf. 2.30.7 6 post mireris graviter interpunx. F, post exordior U et edd. plurim. ante
Helm, cf. Harrison³ & Winterbottom (12) quis ille] F : qui sim Winterbottom in
Harrison³ & Winterbottom (9) 7 isthmos epyrea et tenaeros F, corr. v (*de Buxis*)
Spartiaca F, corr. Salmasius 9 linquam atidem F, corr. v (*et U rescript.*) me*ru
(una post e litt. eras., rui ex hii vel bii corr. al.m.) F : merbii A : merui U rescript.
12 post exotici lacunam statuit Sittl² : exotici <sonuero> van der Vliet : exotici
<dixero> Nisbet (9) : exoticus Harrison³ (9) ac forensis ut interpretam. secl. Leo³
13 forensi F, corr. al.m. in φ

accersimus respondet. Fabulam Graecanicam incipimus. Lector intendere: laetaberis.

- 2 Thessaliam—nam et illic originis maternae nostrae fundamenta a Plutarcho illo inclito ac mox Sexto philosopho nepote eius prodita gloriam nobis faciunt—eam Thessaliam ex negotio
5 petebam. Postquam ardua montium et lubrica vallium et roscida cespitum et glebosa camporum <emensus> emersi, in equo indigena peralbo vehens, iam eo quoque admodum fesso,
3 ut ipse etiam fatigationem sedentariam incessus vegetatione discuterem, in pedes desilio, equi sudorem fronde curiose
10 exfrico, auris remulceo, frenos detraho, in gradum lenem sensim proveho, quoad lassitudinis incommodum alvi solitum
4 ac naturale praesidium eliquaret. Ac dum is ientaculum ambulatorium prata quae praeterit ore in latus detorto pronus adfectat, duobus comitum, qui forte paululum processerant,
15 tertium me facio. Ac dum ausculto quid sermonis agitent, alter exerto cachinno: ‘Parce’ inquit ‘in verba ista haec tam absurda tamque immania mentiendo.’
6 Isto accepto, sititor alioquin novitatis, ‘Immo vero’ inquam ‘impertite sermones non quidem curiosum, sed qui velim scire
20 vel cuncta vel certe plurima. Simul iugi quod insurgimus aspritudinem fabularum lepida iucunditas levigabit.’

1 accersimus] ed. Ven. 1493, cf. Harrison³ & Winterbottom (15); ThLL II. 453. 41–52 : accessimus F : arcessimus Wowerius respondit F, corr. v (de Buxis) 5 gloria F, corr. AU 7 emensus suppl. Robertson emersi, in equo] Robertson : emersi me equo F : emersimus equo Leo³ : emersi, {me} equo Keulen³, fort. recte : equo emersi Magnaldi³ (432sq.) 10 sudorem fronde] Becichemus, def. Thomas³ (cf. Dumas, Les Trois Mousq. 2.100.15 ‘... bouchonna son cheval avec de la bruyère et des feuilles d’arbre...’) : sudorem frontem F, dupl. acc. def. Armini¹ et alii, cf. Keulen³, Callebat⁶ : sudorem et frontem v (de Buxis) : sudoram frontem Haupt coll. Apul. Flor. 16.21 : sudorem secl. Leo³ : sudorem fronte Helm, alii alia 11 detrao F, corr. A et al.m. in φ 14 prataque F, corr. Ferrarius : prata qua Becichemus praeterit post prataque s.l. scrips. pr.m. in F 15 adfectat F, corr. Becichemus (affectat Philomathes) 20 sermones] F, def. Keulen³ : sermone v, sed cf. Purser⁴ (35) : sermonem de Buxis : sermonis Helm curioso Hildebrand coll. 8.26.4

- 3 At ille qui coeperat ‘Ne’ inquit ‘istud mendacium tam verum est quam siqui velit dicere magico susurramine amnes agiles reverti, mare pigrum conligari, ventos inanimes exspirare, solem inhiberi, lunam despumari, stellas evelli, diem tolli,
5 noctem teneri.’

Tunc ego in verba fidentior ‘Heus tu,’ inquam ‘qui sermonem
2 ieceras priorem, ne pigeat te vel taedeat reliqua pertexere.’ Et ad alium ‘Tu vero crassis auribus et obstinato corde respuis quae forsitan vere perhibeantur. Minus hercule calles pravissimis
3 opinionibus ea putari mendacia quae vel auditu nova vel visu rudia vel certe supra captum cogitationis ardua videantur; quae si paulo accuratius exploraris, non modo compertu evidentia verum etiam factu facilia senties.

- 4 Ego denique vespera, dum polentae caseatae modico secus
15 offulam grandiozem in convivas aemulus contruncare gestio, mollitie cibi glutinosi faucibus inhaerentis et meacula spiritus distinctis minimo minus interii. Et tamen Athenis proxime
2 et ante Poecilen porticum isto gemino obtutu circulatorum aspexi equestrem spatham praeacutam mucrone infesto
20 devorasse; ac mox eundem invitamento exiguae stipis
3 venatoriam lanceam, qua parte minatur exitium, in ima viscera condidisse. Et ecce pone lanceae ferrum, qua bacillum inversi
4 teli ad occipitium per ingluviem subit, puer in mollitiem decorus insurgit inque flexibus tortuosis enervam et exossam
25 saltationem explicat, cum omnium qui aderamus admiratione.

2 si quis (alter. s add. al.m.) F, corr. AU agiles F, corr. φ 3 exspirari Bursian 4 despumari] F, def. Hildebrand (i.q. ‘rora an humore suo orbari’) : despumare Heinsius coll. Lucan. 6.506 15 aefulam F, corr. U et al.m. in φ 16 meacula] Cornelissen² : mea gula F : ima gula v 17 et <ante> tamen Magnaldi³ (430sq.), secludendo et ante post proximo proxime] Wowerius (ut ex codice Fulviano hodie deperdito) : proximo F, def. Wiman¹ (interpret. proximo <die>), aliter Magnaldi³ (430sq., interpret. proximo Poecilen porticum) 22 bacillum F, corr. A 23 ingruviem F, corr. φ 24 e*nervam (fuit et nervam) F, corr. φa

5 Diceret dei medici baculo, quod ramulis semiampulatis
 nodosum gerit, serpentem generosum lubricis amplexibus
 6 inhaerere. Sed iam cedo tu sodes, qui coeperas, fabulam
 remeire. Ego tibi solus haec pro isto credam, et quod ingressu
 primum fuerit stabulum prandio participabo. Haec tibi merces 5
 deposita est.'

5 At ille: 'Istud quidem quod polliceris aequi bonique facio,
 verum quod inchoaveram porro exordiar. Sed tibi prius
 deierabo Solem istum <omni>videntem deum me vera com-
 2 perta memorare; nec vos ulterius dubitabit, si Thessalicam 10
 proximam civitatem perveneritis, quod ibidem passim per ora
 3 populi sermo iactetur quae palam gesta sunt. Sed ut prius
 noritis cuiatis sim, qui sim: <Aristomenes sum> Aegiensis.
 Audite et quo quaestu me teneam: melle vel caseo et huiusce
 modi cauponarum mercibus per Thessaliam Aetoliam 15
 4 Boeotiam ultro citro discurrens. Comperto itaque Hypatae,
 quae civitas cunctae Thessaliae antepollet, caseum recens et
 sciti saporis admodum commodo pretio distrahi, festinus
 5 accucurri id omne praestinaturus. Sed ut fieri adsolet, sinistro
 pede profectum me spes compendii frustrata est. Omne enim 20
 pridie Lupus negotiator magnarius coemerat. Ergo igitur
 inefficaci celeritate fatigatus commodum vespera oriente ad
 balneas processeram.

1 semiampulatis] *φ*a : semi amputatis (mi ex met radendo effect) F
 5 mercede posita F, corr. al.m. in mg. *φ* : merces posita Beroaldus (ut habet de Buxis)
 9 degerabo F, corr. *φ* <omni>videntem Leo⁴ coll. Apul. De mundo 29 (355) sol
 . . . omnituens : videntem F, def. Armini¹, amplius Augello¹, Helm III² cfrt. Sept. Ser. frg. 23
 (FPL Blänsdorf p. 359 lane tuens) 10 nec*vo*s F (vid. fuisse ne tuas), corr. *φ* et pr.m.
 in mg. F (ut vidi) : ne tua (al.m. mutav. in ne vos) A : ne et vos UES, cf. Robertson² (88)
 Thessalicam] Beroaldus (cf. Housman, 127sq. = 1223sq.) : Thessaliam F : Thessaliam ut
 gloss. secl. van der Vliet 13 cuiatis sim, qui sim] F : cuiatis sim quive Hildebrand :
 qui sim ut interpretat. ad cuiatis sim secl. Rossbach¹, alii alia <Aristomenes sum>
 Castiglioni¹ 14 quaestum et aeneam F, corr. Scriverius 15 cauponorum F,
 corr. AU : cauponum Oudendorp 16 boetiam F, corr. v (Beroaldus)
 17 caseus F, corr. al.m. in A 18 commodo] extr. o ex a eff. pr.m. F

6 Ecce Socratem contubernalem meum conspicio. Humi
 sedebat scissili palliastro semiamictus, paene alius lurore, ad
 miseram maciem deformatus, qualia solent Fortunae
 decermina stipes in triviis erogare. Hunc talem, quamquam 2
 5 necessarium et summe cognitum, tamen dubia mente propius
 accessi. 'Hem,' inquam 'mi Socrates, quid istud? Quae facies!
 Quod flagitium! At vero domi tuae iam defletus et conclamatus
 es, liberis tuis tutores iuridici provincialis decreto dati, uxor 3
 persolutis feralibus officiis luctu et maerore diuturno defor-
 10 mata, diffletis paene ad extremam captivitatem oculis suis,
 domus infortunium novarum nuptiarum gaudiis a suis sibi
 parentibus hilarare compellitur. At tu hic larvale simulacrum
 cum summo dedecore nostro viseris.'

'Aristomene,' inquit 'ne tu fortunarum lubricas ambages 4
 15 et instabiles incursiones et reciprocas vicissitudines ignoras.'
 Et cum dicto sutili centunculo faciem suam iam dudum
 punicantem prae pudore obtexit ita ut ab umbilico pube tenus
 cetera corporis renudaret. Nec denique perpessus ego tam 5
 miserum aerumnae spectaculum, iniecta manu ut adsurgat
 enitor.

7 At ille, ut erat capite velato, 'Sine, sine' inquit 'fruat diutius
 21 trophaeo Fortuna quod fixit ipsa.'

Effeci sequatur, et simul unam e duabus laciniis meis exuo 2
 eumque prope vestio dicam an contego et ilico lavacro
 trado. Quod unctui, quod tersui, ipse praeministro; sordium 3
 25 enormem illuviem operose effrico; probe curato, ad hospitium

4 decermina] Lipsius, coll. Fest. 72,7 M, CGL VI. 307 (cf. Helm² xliii et xxxvi) : deterrima
 (sed m.vet. in mg. add. vel determina stipes in trivis) F, def. Hildebrand, van Kempen :
 determina S 8 tutores] a : tutor-es (corr. ex tutor est) F provinciales F, corr. A
 et al.m. in *φ* 9 praesolutis F, corr. v (de Buxis) ferialibus F, corr. v (de Buxis),
 cf. 9.30.7 : <in>ferialibus coll. 8.7.4 Helm 10 captivitatem] F, def. Oudendorp,
 Löfstedt⁵ (93) : caecitatem Scaliger 11 domus] m.vet. s.l. scrips. vel demum, sed
 cf. 8.1.2, 9.31.1, 10.5.3 16 centunculo F, corr. al.m. 17 umbilico] *φ*a :
 imbilico F (sed extat ras. supra im) 21 trophaeo F, corr. v 25 eluviem F,
 corr. Oudendorp : colluviem dub. Robertson